



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 57. Epistolæ gratulatoriæ Innocentii XII. Pontificis ad Franciæ & Poloniæ  
Reges.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)



Sæc. XVII.  
A. C. 1698.

§. LVII.

*Epistola gratulatoria Innocent. XII.  
Pontificis ad Franciæ & Polo-  
niæ Reges.*

Quamvis Innocentius XII. summus Pontifex non sine magno animi sui mærore intellexisset, in Siamensi Regno uberrimæ messis spem, penitus emarcuisse, Virosque Apostolicos inde expulsos, Bondicherium profugere compulsos esse, dolorem tamen non nihil temperabant Augusti Poloniæ Regis literæ, quas Lobzovii anno priori exaratas Barberinus Cardinalis summo Pontifici tradiderat; in iis enim Rex significabat, „quod jam a pluribus an-  
„nis sectam ejurare decreverit, tandem  
„vero in manibus Christiani Augusti  
„Jaurinensis Episcopi publice Wratisla-  
„viæ fidem Catholicam professus sit,  
„haud dubius, quin sicut Angeli super  
„peccatore pœnitentiam agente lætan-  
„tur, ita & Sanctitas sua non sine animi  
„lætitia perceptura sit, quod verita-  
„tem & fidem Catholicam coram ho-  
„minibus confessam, etiam coram Deo  
„Patre, & Filio, ejusque Vicario con-  
„fiteatur; placeat igitur Sanctitati suæ,  
„testimonium hujus veritatis reddere,  
„ac quæ hucusque clam de ejus con-  
„ver-



„versione inaudiit, prædicare super  
 „tecta:., postea Rex Pontifici expone-  
 bat, quod quidem Polonicæ Reipublicæ  
 Proceres hujus Regni coronam ejus  
 imposuissent capiti, illam vero acce-  
 ptare differat, donec a sua Sanctitate  
 benedictionem recepisset, palamque  
 fecisset, se obsequiosissimum Sacræ Sedis  
 Filium esse. Ad has literas Pontifex  
 die decima octava Januarii rescribens,  
 Regem amplis elogiis honorabat, ac  
 Baronem de Ge Poloni Regis Orato-  
 rem summis honoribus excepit, etiamsi  
 Franciæ Orator contra Daviam Apo-  
 stolicum in Polonia Nuntium acerbè  
 questus esset, quod contra Contium  
 Franciæ Principem novi Regis electio-  
 nem immodico Zelo promovisset: Ve-  
 rum flocci habebantur hæ querelæ;  
 certo enim Pontifici compertum erat,  
 quod hic Nuntius duntaxat sectæ eju-  
 rationem a Rege factam, atque a Jau-  
 rinensi Episcopo subscriptam suo quoque  
 testimonio firmasset: Augebatur insu-  
 per summi Pontificis lætitia ob Religio-  
 nis causam a Galliarum Rege in Rys-  
 wicensi pace promotam; quocirca ei-  
 dem gratulatorias rescripsit literas, ei-  
 demque fidei Catholicæ propagatio-  
 nem ulterius impense commendavit:  
 ut vero grati sui animi testimonium  
 redderet, ad Bisuntinum Episcopatum

Sæc. XVII.  
 A. C. 1698.



Sæc. XVII. nominandi jus, antea Capitulo indul-  
 A. C. 1698. tum, Regi concessit, necnon Cardina-  
 lem Bullionium Romæ multis cumu-  
 lavit Beneficiis. Cum autem Pontifici  
 haud incompertum esset, quod Cardi-  
 nalis Radziewiskius Regni Primas, ac  
 nonnulli Procerum alienos a Friderici  
 Augusti Poloniæ Regis obsequio ani-  
 mos retinerent, Paulutium suum antea  
 Colonæ Nuntium ad hoc Regnum de-  
 crevit, haud poenitendo selectu; hujus  
 enim Viri opera & dexteritate effectum,  
 ut post varias tractationes Lovitii ha-  
 bitas utrinque in has reconciliationis  
 leges conveniretur. I. Regina, prius-  
 quam in Poloniam veniret, fidem Ca-  
 tholicam amplecteretur. II. Prædi-  
 cantes Lutherani e Regiis castris ex-  
 pellerentur. III. Rex electionum jura  
 & suffragiorum libertatem servaturum  
 se, idonee caveret. IV. Expen-  
 sas in sui electionem factas non repe-  
 teret, & nationis copiis residuum æs  
 militare numeraret. V. Kamienieckum  
 & Podoliam suis copiis Regno recupe-  
 rare satageret. VI. Officia & beneficia  
 duntaxat Catholicis Polonis concederet,  
 non exclusis Nobilibus antea sibi ad-  
 versis. Acceptatis hisce, aliisque con-  
 ditionibus Papæ Nuntius Primatem ac  
 primæ notæ Nobiles fœderationis so-  
 cios ac Principes Varsaviam die vige-  
 sima



simā secunda Maij ad Regem deduxit, Sæc. XVII.  
 a quo perbenigne excepti, fidei homa- A. C. 1698.  
 gium exsolverunt, ac Regno exopta-  
 tam pacem reddidere.

Sub idem ferme tempus sedente  
 Ursino Cardinale Beneventano Archi-  
 episcopo eruebatur urna, in qua Cor-  
 pus sancti Bartholomæi Apostoli re-  
 conditum a nonnullis credebatur, unde  
 idem Archiepiscopus desuper decretum  
 assentientibus Episcopis sibi subjectis  
 promulgavit, cuius tamen haud ma-  
 gna habebatur ratio, partim quod ejus-  
 dem sancti Corpus Romæ in Templo  
 P. Franciscanorum ad Insulam repositum,  
 passim crederetur, partim quod  
 fidelium devotio in Deum in Sanctis  
 suis mirabilem, non in ossa in Altari-  
 bus exposita tenderet. Denique sum-  
 mo Pontifici per Reipublicæ Oratorem  
 nuntiatum est, quod Veneta classis ini-  
 to prælio cum Turcis in Ægeο mari  
 insignem victoriam die vigesima Octo-  
 bris reportarit, pluraque barbarorum  
 navigia aut discerpserit, aut fugarit.

§. LVIII.

*Alberti Pauluccii Altieri Cardinalis  
 obitus.*

Luxerat hoc anno Sacrum Purpurato- *Lexicon*  
 rum Collegium mortem Alberti *Univ.*  
 Gg 5 Pau- *Lit. A.*